

Quaeritur 3^o: An Confucius colatur apud Sinas ut sanctus? an habeat sacella et templa, ubi sacrificia et oblationes ipsi fiant?

Affirmant Semedo, Kircherus in *China illustrata*, de Marinis, *Hist. de felic. success.*, de Rhodes in catech. et rel. *Historia de Tunchino*, Bartoli, *La Cina*, Trigaultius et Riccius ut dicitur.

Negant D. episc. Macaensis, D. ep. Nankinensis, D. ep. Ascalonensis, D. electus ep. Andrevillensis. Religiosi ordines, quicunque in Sina testimonium dixerunt de veritate facti expositi in decreto Alexandri VII, in quo negatur, coli Confucius ut sanctus, affirmaturque, aulas eius esse gymnasia non vero sacella aut templa. Habentur testimonia signata et authentica Fr. Ioa. Fernandez Serrani, Fr. Bonaventurae de Roma, Fr. Augustini a s. Pasch., PP^{um} Augustinianorum, qui diserte respondent, praxes circa cultum Confucii et progenitorum sibi visas fuisse probabiles ideoque eas nunc permittimus permittemusque etc. et addunt, se ex fama deprehendisse, nonnullos ex Dominicanis praxes easdem permittere; Fr. Ioannes de Paz, Dominicanus, testatur, se id habere pro certo et profert testimonia antiquorum in eodem ordine, qui dicunt auditos a se infideles affirmantes, coli a se Confucium ut magistrum, neque ullam ipsum habere potestatem, ad se iuvandos etc. Confirmatur hoc ipsum ex facto gubernatoris in urbe Cham Xa Fu, cuius iussu graviter inflictis plagis vapulavit Bonzius propterea, quia imaginem Confucii in fano quodam posuisset. Eadem de Confucio affirmat Fr. Franciscus de Acuna ex eodem ordine. Eadem Fr. Dominicus Sarpetri, Fr. Gregorius Lopez eiusdem ordinis, natione Sina: quibus adscribi potest Fr. Dominicus Navarrete, quippe qui suum calculum addiderit Cantonensibus, in quibus factum Alexandro VII expositum comprobatur, cum in eo conventu nomine Dominicanorum in Sina missionariorum tanquam eorum praeses loqueretur. D. de Courtaulion, antiquus vicarius Apostolicus generalis in Cocincina negat, ullam in cultu Confucii esse superstitionem, neque solum se audivisse ceremonias ab aliis relatas, sed se interfuisse testatur. Missionarii Societatis Iesu, quorum praxim censendus est approbasse D. episc. Cononensis, cum sacramenta ministravit christianis, palam sequentibus eandem praxim. Eiusdem praxeos rationes et fundamenta ostendit e libris Sinicis P. Franc. Xav. Philippuccius in prolixo tractatu.

Item PP. Brancatus, Faber, Hurtado, Intorcetta, Trigaultius, Riccius et Franc. Noël negant, inscriptionem in aula Confucii positam esse verendam latine: Sedes spiritus Confucii. Negant, spiritum Confucii a Sinis existimari residere in hac tabella aut ad eam accedere. Negant esse vestes proprias huic addictas functioni et ab usitatis literatorum vestibus distinctas. Negant, vocem Miao significare proprie templum, affirmant vero, ceremonias, quae adhibentur Confucio et progenitoribus mortuis adhiberi etiam vivis doctoribus, mandarinis et hospitibus etc., in quorum gratiam occiduntur animalia interdum etc. et ad alia id genus usurpantur. Eadem cum PP. Soc. Iesu affirmant negantque P. Lopez, Sarpetrius, Navaretta, de Paz. Immo D. a Leonissa in plerisque consentit. Omitto testimonia procerum, literatorum et doctorum Sinensium, non solum christianorum, sed et ethnicorum, qui una voce omne clamant, Con-